confessum perseverat. Tum mox rumor per urbem spargitur: Dominus Voest deteriori Carceri mancipatus fuit, ut rudiori plebeculæ præsumptionem quandam veritatis affricarent. Huic turri inclusus permansit usque ad diem Lunæ sequentem, & ad Textoris revocationem, quo tempore circa horam decimam vespertinam inde educitur, & Textor tribus militibus custoditur, eidem loco includitur usque in diem Jovis post meridiem, quo prædicans quidam nomine Absalon chartâ, calamo, & atramento instructus eundem invisit, & per duas horas colloquium miscet. Hinc Textor circa horam nonam vespertinam educitur, & torquetur, & horâ undecimâ rursum intruditur sæpe, & lamentabili voce conquestus à militibus se pecuniâ & magnis promissionibus corruptum tales absurditates in præjudicium honestorum istorum Civium practicasse.

CAPUT XXXI.

Examen Dominorum Licentiati Abels, Theodori ab Heucklum, & Leonardi Roeloffs describitur.

Fiscalis igitur coram Tribunali Aulico Licentiatum Rutgerum Abels interrogat de Pasquillis, de supplicâ Marchioni Spinolæ, & Serenissimo Austriæ Archiduci exhibitâ, de juramento non revelandi, de sumptione Sanctissimæ Eucharistiæ, & de pluribus circumstantiis inter captivos, ut dicebant, deliberatis & concusis; scilicet quâ viâ civitatem, & arcem Gochensem Gubernatori de Verdugho tradere voluissent, nec non quo modo ex mandato Archiducis per Dominum de Wissen venenum Serenissimo

Electori

Electori nostro propinandum foret. Et respondet Abels: in omnibus punctis mihi à vobis objectis prorsus innocens sum. Tum affirmat Textor, non in ædibus Elberti Voest, sed in Ecclesia in Choro S. Catharinæ Abels supplicam subsignavit. Quod dicterium Abels his verbis refutat: omnia quæ Textor dicit mera mendacia sunt; nam totâ vitâ meâ Gubernatorem Gelriæ non vidi, neque in nostra Ecclesia Chorus invenitur Beatæ Catharinæ sacer. Textor dicit fuisse in eodem Choro, in quo Abels sedere consueverat. Cui Abels: sedes mihi plerumque est in Choro Beatissimæ Virginis. Tum quidam Consiliarius rursum insurgit dicens: frustra quæstio est de nomine Chori, dummodo quo ad locum conveniant; quod Textor mox confirmat addens: *Dat den Kuster dat selve Choor van buyten toegesloten had, alsoo dat naer verrichter Saeck den Licentiaet Abels omgeloopen was over dat hoogh Choor, daer den Sleutel van binnen in die Duer stack, ende de Duer geopent, en haer daer uytgelaten.* Hæc sunt eadem Textoris formalia. Hic Abels animosè respondit: mittite quendam fidelem servum Gochiam, & inspectionem capiat aperti mendacii, Textor convictus erit, non est ibidem Claustrum nisi in summo Choro, quod extrinsecè & reseratur, & clauditur, aliqui Chori pessulis solummodo compinguntur. Cui Fiscalis: Mathias Mom tamen idipsum fassus fuit. Hisce peractis Textor emigrare jubetur. Rogat ulterius Abels, quamnam familiaritatem, & quodnam literarum commercium habuisset cum Consiliario Voest ratione hujus materiæ. Respondet Abels: Affinis meus est, de reliquis ignoro; verùm audivi à Reverendo Domino Cornelio Textorem Gochiæ coram Tribunali mili-

militari depoſuiſſe ſupplicam in paſtorali æde ſignatam fuiſſe, nunc verò dicit in Choro Eccleſiæ: quomodo hæc cohærent? Si veritatem indagatis, jam tum ad oculum falſitas patet. Venitur ad Dominum Theodorum ab Heucklum, cui ſupra memorata quoque objiciunt, quibus & Interrogator impudenter hæc addere auſus fuit: *Bekent het vry, want u Schoonvader heeft het al bekent.* Cui Theodorus ab Heucklum reſpondet: non credo patrem meum ſenem tam prudentem taliter mentis impotem eſſe, ut fictas calumnias confiteri voluerit, ſicut nec ego in æternum idipſum tam in proprium, quàm in proximorum Concivium præjudicium, & ruinam præſtabo: dies venient, quibus Dominus afflictionem noſtram, & injurias illatas reſpiciet, & Juſtitiæ viam, quâ ſemper ambulavimus toti mundo manifeſtabit. His parumper trutinatis dicit quidam Conſiliarius: *Den Wever ſeyt jae, ende ghy ſeght neen, ende ſoo moeten wy u als een goet Mann, als wy weeten, dat gy ſyt gelooven.* His dictis ad cuſtodiam reducitur. Progreditur tertius Leonardus Roeloffs, ſed quoniam hic Mercator erat, & ut plurimum è Civitate Gochenſi abſens, ſic Textor fermè nihil ei imponere poterat. Quare pedibus ferro gravatis intruditur denuo cubili cuidam, ubi nec menſa, nec ſedes, nec ignis, nec cibus. Nota quod pridie incluſus fuerat cuidam turri dictæ *Mulenkamps Toorn*, in quâ malefici, & ad rotam, vel patibulum condemnati hoſpitari conſueverant.

CA-